



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 31. Pacta Regem inter, & Clerum eidem multa millia numerantem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæc. XVI. ciscus I. ejus Patri Joanni Caracciolo
A.C. 1561. Melphitano Principi dono dederat: ubi etiam obiit Joannes Antonius Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo nono.

§. XXXI.

*Padta Regem inter, & Clerum eidem
 multa millia numerantem.*

*Recueil generalis des
 affaires de
 Clerge tom. 2
 part. I. an.
 1636. impr.*

Colloquio ad finem vergente Episcopi aliquamdiu adhuc Possiaci hærebant, ut illi, cum Rex summam a Clero promissam sibi numerari vehementer urgeret, de congregandis hisce pecuniis deliberarent: itaque feria tertia die decima quarta Octobris Cardinales, atque Episcopi cum Rege pacifcebantur, polliciti, quod intra sexennium Clerus Majestati suæ novem, ut vocant, milliones præter sexcenta librarum millia duodecim solutionibus, quarum quævis quolibet semestri fieret, ita numerare vellent, ut a prima die proximi mensis Januarii initium duceretur, & decimarum exactione, vel alio modo tota summa Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo die ultima Septembris persolveretur: insuper conventum, ut qualibet solutione, quæ quovis semestri fieret, octingenta librarum millia pro reluendis regie Majestatis suæ prædiis, tribut-

butorum curiis, ac vectigalibus postremis Mensis Martii, & Septembris diebus penderentur, & tam tota hæc subsidii summa, quam solutionis tempora omnino observarentur sub iis conditionibus, & oneribus, quæ imponere necessitas suadebit, ac Clerici sustinere poterunt juxta mandata, ac monita, quæ ipsis data fuere tam a præcipientibus, quam a Cleri Deputatis, per quos distribuatur summa, quam ipsis a Clericis exigere licebit ultra quartam partem decimarum, quæ, ut præfato Clericorum Ordini, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, & Beneficiatis imponantur, concessæ fuerunt. Hoc pactum in arce sancti Germani in Laya die vigesima prima Octobris fuit sigillo firmatum, ratumque habitum.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

§. XXXII.

Jesuitæ Parisiis stabiliti.

Ceterum ex præcipuis commodis, quæ Pater Laynesius ex suo in Franciam itinere, necnon sua in Possiacensi colloquio præsentia reportaverat, haud infimum fuit, quod Prælati, ad quos Possiaci congregatos Senatus regius examen, ac decisionem obstaculorum Societatis Parisiis stabiliendæ confirmationem hucusque præpedientium remiserat, in favorem Jesuitarum rem deciderint,